

XI. Observationes Botanicæ, *Plantarum quārundam Descriptiones accuratiōes exhibentes;*
per D^r Paulum Henricum Gerhardum Moehring, M. D. factæ; ad Illustrissimum D^r. Hans Sloane, Bart. R. S. Praef. missæ.

I.

SALICORNIA *ramis clavatis, squamis articulorum adpressis.*

PLANT^A annua, quoad omnes partes succulenta,
 8. 9. digit. Rhenan. raro pedem Rhenan. alta.

RADIX e multis fibris filiformibus constat.

CAULIS ramosus, tereti-compressus parum, ad radicem lignosus & rugosus, supra succulentus, glaber, aphyllus, clavatus: *Clavis* oppositis, alterno ordine e productionibus auriculatis, squamatis, vaginantibus, arcte adpressis, caulis primarii erumpentibus, $\frac{1}{2}$, i. ad $1\frac{1}{2}$ dig. Rhen. longis, suprema terminatrice reliquis longiore.

FRUCTIFICATIO e *Flosculis* ternis, figuram trianguli birectanguli sphærici, cuius basis sursum convexa est, repræsentantibus, alterno ordine sibi oppositis, constat. His fructificationibus triangularibus omnes clavæ secundum longitudinem obſitæ sunt.

Insidet cuilibet commissuræ ramulorum squamato-denticulatæ, subacutæ, *denticulo* instar receptaculi totius fructificationis serviente, ac infima stamina occludente.

CALYX est productio scapi squamata, marcescens quocum unum planum efficit;

Flos-

Flosculi superioris, & quasi intermedii, rhomboideus, angulo inferiori rectilineo acuto ; Angulo superiori curvilineo obtuso ;

Flosculorum duorum inferiorum, aut, si mavis, lateraliū, Trigonus, basi parum latiore.

COROLLA nulla.

STAMINA Duo, supra & infra germen opposito situ, ejusdem basi adfixa, & e rimula calycis prominula : Superiorius primum exsurgit ; quo delapso, inferius prodit (Unde factum est, ut omnes Botanici unum modo stamen eidem adscribant).

Filamenta filiformia, intra calycem abscondita.

Antheræ oblongæ, erectæ, extra calycem hiantes, didymæ, (inde fit, ut primo subtiliori adspectu parvum corpus tetragonum præ se ferant) extrorsum concavæ, lateribus introrsum longitudinaliter convolutis, cum filamento æqualis longitudinis, eidem in summo utrimque adhærentes, arêteque illud obtegentes, basi sua plerumque intra foveolam calycis inclusæ. In concavitatem istam multum farinæ genitalis delabitur.

PISTILLUM, *Germen* subrotundo-acuminatum, in medio filamentorum situm, intra calycem absconditum, ejusdem cum filamentis longitudinis.

Stylus nullus. *Stigma* capillare, acutum.

PERICARPIUM *Capsula* vesicaria, inflata, ovato-acuminata, exacte referens calyptram polytrichi DILLENII, sed deorsum magis ampullatam, intra calycem latens.

SEMEN unicum, ovato-compressum, horizontaliter in capsula situm, a basi ad medium sulcatum, tenuissimi ope *pedicelli* costæ caulis adfixum.

O B S E R V A T I O N E S.

a. Crescit heic locorum ubique ad oceani Septemtrionalis litus, dummodo terra pinguis, argillacea (nostratisbus *Schlick* vocata) adsit, & magnis fluxibus maris aqua salina interdum conspergi possit. Simul ac vero terra aggere circumvallatur, & maris undis subtrahitur, sicque salis marini nutrimento privatur, sequenti statim anno disparet.

b. Adhibetur inter acetaria, refrigeranti sapore se commendans.

c. Floret *Augusto*, semina perficit *Septembri* & *Octobri*. Plantulæ prodeunt fine *Aprilis*, & initio *Maii*: His cotyledones tereti-oblongæ, succulentæ.

d. Ergo pertinet in *Systemate Sexuali LINNÆI* ad *Diandriam Monogyniam*.

(e.) Alia haut ita pridem species *Saltzdahlenfis*, *Ducatus* scilicet *Brunsvicensis*, nobis, fccis speciminiibus, missa est a D.D. FRANC. ERN. BRUCKMANNO, quæ longe diversa a nostra, adpellari posset *Salicornia*, *ramis imbricatim pyxidatis, squamis articulorum existantibus*, propositaque a variis auctoribus videtur.

(f.) Tandem, genus *Salicorniæ* a nullo hactenus Botanico curate satis enodatum fuisse patet, teste fragmento amicissimi LINNÆI *Charact. Gener. Plantar. & Hort. Cliffort.* sua enarrantis ex incompletis TOURNEFORTII ac MAGNOLII adumbrationibus.

II.

VERBASCUM foliis cordatis crenatis acutis glabris: floralibus ternis.

PLANTA biennis, secundo anno florens, caule 7, 8, pedes alto.

CAULIS

CAULIS plerumque simplex, nonnunquam inferne ramosus, longissimus, erectus, teres, brevissimis pilis villosus, lâete viridis, inferius valde foliosus, superiorius ab initio florum emergentium parvis foliolis siliquatus.

FOLIA primi anni & *Caulis inferiora* sessilia, semi-amplexicaulia, cordata, in acumen lanceolato-lineare acutum terminata, mollia, glabra, margine crenato, dentato: denticulis inaequalibus.

Floralia terna, lanceolato-linearia, acuta, parva, medio infimo duplo triplove longiori.

FLORES plerumque quaterni ex eodem sinu: in summo caulis unicus, reliquis suffocatis.

PEDUNCULUS brevissimus, calyce triplo fere brevior, crassus, simplex.

CALYX. *Perianthium*, ut in *Linn. gen. pl.* ad basin fere quinquepartitum: *laciniis* lanceolato-linearibus, hirsutis.

COROLLA. *Petalum*, ut *Linn. gen. 153.*

STAMINA. *Filamenta* 5. subulata, corolla breviore: *tribus superioribus* reliquis brevioribus, circumcirca lanuginosis: *duobus infimis* reliquis tertiam partem longioribus, declinati, sursum incurvatis, in medio interni lateris lanuginosis.

Antheræ trium breviorum filamentorum triangulariter incumbentes, adpressæ, planæ, sexangulares: *duorum longiorum* filamentorum rectanguli figura incumbentes, adpressæ, planæ, sexangulares.

PISTILLUM *Germen* subrotundum. *Stylus* filiformis, inclinatus, staminibus parum longior, marcescens. *Stigma*, ut *Linn. gen.*

PERICARPIUM *Capsula* subglobosa, transversim a summo ad basin bisulcata, bilocularis, &c. ut *Linn. gen.*
In-

Involucrum hujus exterius est calyx erectus, fructum amplectens.

SEMINA Numerosa, oblongo-quadrangularia, truncata, minutissime rugosa, parva. *Receptacula*, ut *Linn. gen.*

Obs. a. Ergo quoad plurimas fructificationis partes simillimum existit Verbasco quinto LINN. *Hort. Cliff.* p. 55. in reliquis dissert.

b. Corollarum color flavus, unguibus maculatis, purpureis : filamenta interne purpurea : horum lanugo partim purpurca, partim alba.

c. Semina vere 1738. ab optumo LINNÆO titulo *Verbasci e Virginia missa*, cum plurimis aliis noviter ex *America* advectis, atque ad Illustr. Dom. GE. CLIFFORD transmissis, plantas modo descriptas largita sunt, quæ hyeme solo sub testo conservandæ apud nos videntur.

(d.) Flos tota æstate matutinis horis apertus.

e. Ergo Verbascum annum, foliis oblongis sinuatis obtusis glabris. LINN. *Hort. Cliff.* 55. melius circumscribetur hoc nomine : VERBASCUM foliis oblongis sinuato-crenatis obtusis glabris, florali uno. Cujus differentia specifica potissimum in his consistit : *Folium florale* ovato-acuminatum, unicum. *Flos* unus. *Pedunculus* longissimus, filiformis, calyce triplo longior. *Calyx* sub fructu plano-expansus.

III.

SENECIO foliis pinnatifidis lacinulatis : laciinis omnibus laxis patentissimis linearibus acutis.

Jacobæa altissima, foliis erucæ artemisiæ similibus & æmulis. Rupp. Jen. 142.

Caulis humanæ altitudinis, teres, levissime angulosus, strigosus, glaber.

Folia alterna pinnatifida, glabra, laciniis æqualibus, linearibus, patentissimis, laxe lacinulatis, apicibus acutis, rachi lineari : color saturate viridis, inferiori parte parum pallidior.

Corollæ radii flavi, magni, mox revoluti.

Calycis in basi foliola reliquis adpressa.

Obs. a. Duxi hanc plantam, Jena missam, Senecionem, secundum characterem, a LINN. gen. plant. 647. datum.

b. Ergo specie diversa a LINNÆI Senecione foliis pinnato lyratis, lacinulatis. *Hort. Cliff.* 406.

IV.

ILLECEBRUM Linn. *Corollar. gen.* 947. *Rupp. Jen.*

79. Corrigiola Dillen. *Giff. Suppl. adpend.* 167.

CALYX *Perianthium* pentaphyllum, carnosum, foliolis crassis, erectis, compressis, introrsum ad summum fere excavatis, persistentibus, seta infirma terminatis.

COROLLA. Nulla.

STAMINA. *Filamenta* quinque triangulari-subulata, fructu breviora, intra calycem. *Antheræ* rotundulæ, erectæ, simplices.

PISTILLUM. *Germen* ovato-acutum, calyce dimidio fere brevius. *Stylus* nullus. *Stigma* simplex, turgidum, obtusum.

PERICARPIUM. *Capsula* membranacea, tenuissima, ovata, utrimque acuminata, simplex, univalvis, superne dehiscentia, calyce testa.

SEmen. Unicum, ovatum, utrimque acutum, maximum, nitidum.

Obs.

Obs. a. Ergo pertinet in *System. Sexual. LINNÆI* ad *Pentandriam Monogyniam*, commodeque post *genus 94. Achyranthis* collocabitur.

b. Observatio tribus annis repetita hæc docuit, quum plantula humifusa copiose apud nos in arenosis humidis proveniat.

V.

RUPPIA foliis linearibus obtusis.

PLANTÆ aquis marinis innatans, flexuosa, perennis.

RADIX ramosa, fasciculos foliorum emittens; *corpus* teres, geniculatum, repens, brunnum, solidum, crassitie pennæ circiter columbinæ, aut parum tenuius; *fibrillæ* capillares simplices, e geniculis tantum prodeentes, unciam unam alteramve longæ, albitantes.

Fasciculi caulinii, culmi graminei specie, singuli e singulis radicalibus ramulis prodeunt, compressi, laxe geniculati, glabri, valde infirmi, flexiles, natantes, aquave marina refluente, argillæ incumbentes, e quolibet geniculo vaginato, alterno ordine, ramos compositos emittentes.

Folia vaginantia, alterna, linearia, verticaliter obtusa, oblonge parallelogramma, glabra, mucosa, saturate viridia, basi geniculis caulinis infixæ, ramulos cum horum foliis, narcissorum instar, includunt. Versus extremitatem cujuslibet ramuli 2, 3, 4 folia, situ parallelo, unicæ vaginæ includuntur.

Foliis vaginatis omnibus fere, ipso caule longioribus, fructificationes ea quidem lege insunt, ut hæ in dimidia inferiori ejus parte intra rimulam compressam abscondantur. Supra & infra fructificationis

lineam geniculum transverse sulcatum est, hanc a petiolo infra, & a reliquo folio supra distinguens.

CALYX, *Involucrum universale, vagina spathæ* vices supplens, in dimidia inferiori folii parte, introrsum rima media longitudinali, cuius latus unum ab altero aliquantum obtagit, hians.

Spadix intra involucrum, membranaceus, albidus, compressus, obtusus, lateribus longitudinaliter parum convolutis, medio leviter carinato, dorsum involuctri spectans, longitudine $\frac{3}{4}$ involucri, aut parum longior, numquam hujus finem adtingens, fructificationes 9. ad 13. distice in longitudine obliqua fovens.

COROLLA Nulla.

Filamenta nulla. *Antheræ* solitariæ, ante florescentiam intra involucrum latentes, ovato-oblongæ, utrimque subacutæ, oblique adscendentæ & distice secundum longitudinem spadici ita adhærentes, ut nunc unam, nunc duas antheras unicum pistillum eodem in plano excipere videatur, singulis tamen antheris singula pistilla vere adsint, modo abscondita, modoque visui obvia. At explicatae, (*i. e.* durante florescentia) ab alis suis lateralibus, elasticis, membranaceis, pellucidis, expansis in figuram naviculæ concavam incurvantur, carina deorsum prominente, & pistillis ita superimponuntur, ut distracta utrimque, patulaque facta involuctri rima, ima sui parte sursum horizontaliter adscendant, atque navicularum concavarum specie secundum longitudinem extrorsum pateant. Corpus antherarum flavum & mucosum est, quod facile abstergi potest.

PISTILLUM *Germen* intra involucrum, oblongum, ad basin, qua spadici adfigitur, parum amplius. *Stylus* intra involucrum, simplex, filiformis, sursum recurvus, per-

persistens, post florescentiam cum spadice parallelus, & parum curvus. *Stigmata* duo, tenuissima, capillaria, ab invicem diducta, extra involucrum horizontaliter exorrepta, cito marcescentia & evanida (ut relicta hinc macula e ferrugineo-nigricans facile alicui imponere possit, stigma modo unicum esse).

PERICARPIUM; *Cortex* tenuis, membranaceus, cylindraceus, basi obtusus, apice stylo munitus, stylo parum longior, cum spadice parallelus, basi liber, ad finem styli spadici adfixus, pedicelli ope brevissimi.

SEmen In quolibet cortice solitarium, cylindraceum, utrimque obtusum, longitudinaliter subtilissime striatum, album.

Ergo pertinet in LINNÆI *System. Sexual.* ad *Gynandriam Monandriam*, minime vero ad *Gynandriam Polyandriam* ejusd. *ibid.* In *fragment. meth. nat.* LINN. p. 506. *Classum plantar.* ad *ordinem* XLVIII. quo & *Naias*, & *Zannichellia* referendæ videntur: In ROYENI *System.* ad *Palmas*, *Spatha bifida*. Vid. *Ejusd. Flor. Leyd. Prodr.* p. 9.

Crescit in aqua marina ad insulam *Wangeroogen*-sem, & reliquas ad sinum illum Oceani Septemtrionalis, *Wadt* dictum, sitas insulas. Durante aquarum adfluxu, eidem innatat; refluxo autem mari, argillæ tenaci, cui radix infigitur, incumbit.

Mirum, plantam adeo vulgarem locis maritimis, cuius folia (quæ sicca, papyri instar, alba, nigra, etiam evadunt) mensibus Augusto & Septembri a maris fluctibus ad littora abundant copia rejiciuntur, a nullo, quantum memini, nisi forte Anglo botanico, descriptam aut depictam esse. Ruppiæ generi inserenda videtur, si hujus character, amicissimo LINNÆO non nisi ad siccum exemplar, ut signum †, in generibus

bus plantar. adjectum docet, examinatus, parum ampliatur. An malint allii novum genus?

VI.

HIPPURIS. *Linn. gen. 1.*

Calyx, Nullus.

Corolla, Nulla.

Stamen, *Filamentum* unicum, subulatum, crassiusculum, deciduum, longitudine fere antherarum, germini insidens. *Anthera* didyma, quolibet segmento a tergo bisulcata, germine & filamento parum longior, crassa, carnosa.

Pistillum, *Germen* oblongum, infra stamen. *Stylus* unicus, filiformis, tenuis, erectus, acumine extrorsum reflexus, introrsum ad latus staminis ex apice germinis oriundus, stamine longior, marcescens. *Stigma* acutissimum.

Pericarpium Nullum.

Semen *Unicum*, oblongum, nudum, duriusculo tegmine abscondens nucleum parvum.

Obs. 1. Floret Jun. & Jul. fructum perficit August. Septembr. crescit abunde in fossis *feveranis*, prope *Embdam Frisiæ Orientalis*, &c.

2. Variat *staminibus rubellis*, quæ copiosior; & aliis locis *staminibus albidis*, herbaceis, quæ rarior.

3. Ergo margines illi, a LINNÆO gen. 1. sub calyce descripti, sunt veræ antheræ, nec aliud quidquam bona lente detegendum.

Vide TAB. I. Fig. A. B. C.

FIGURARUM, sub lente Muffchenbrœckiana a me
delineatarum, explicatio.

Fig. A. *Flos antice visus, ut filamentum adpareat.*

a. Filamentum.

b. Antheræ, antice visæ.

Fig. B. *Flos a tergo pictus, ut pistillum conspicatur.*

c. c. Antheræ, postice visæ, ut sulci in conspectum
prodeant.

d. d. Germen.

e. Stylus cum stigmate.

Fig. C. *Semen.*


f. Semen fere maturum.


g. Stylus marcescens, supra semen reflexus.

XII. *Observatio Anthelii Vitembergæ spectati;*
per J. Fried. Weidlerum *Mathef. Prof.*
ibidem Primar. & R. S. Lond. Soc. com-
municata, in Epistola ad C. Mortimerum,
R. S. Secr.



DIE $\frac{18}{7}$ Januarii A. 1738. quidam ex auditori-
bus meis, cum ante meridiem in campo prope
Vitembergam agros dimetiretur, forte fortuna Anthe-
lium, sive Solis imaginem e regione Solis veri versus
septentrionem positam conspexit. Nimurum mane
hora 8. cœlum undique serenum, mox circa horam
9, e septentrionali plaga, nubes exoriuntur, ibique
sensim

Philosoph. Transact. N° 454. TAB.I





Philosoph. Transact. N° 454. TAB.I



J. H. de Sulpis